



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 6. Quàm noxia sit securitas putantium, se à tentatione securos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

rus decipiaris. Venient autem ad te fratres, quos tu ipse docuisti, deferentes tibi benedictiones, quas suscipere ne recuses, & sumens cum eis cibum, age gratias Deo tuo.

§. VI.

Quam noxia sit securitas putantium, se à tentatione securos?

Multorum fructuum hortus est hoc exemplum. Ex eo decerpi potest cognoscique; primò, cura Dei, qua, in deserto, desertos alit. Secundò Dei delicatus amor, delicatissimo pane suos alentis, & velut manna dantis, juxta illud Psal. 67. *Parasti in dulcedine tua, pauperi Deus.* Tertiò ministerium Angelorum, qui, in solitudine, non Christo solum, sed etiam seruis Christi ministraverunt. Quartò, infelicitas, vt ita dicam, magnæ felicitatis, in nimiam non rarò securitatem inducentis. Suprà dictus enim Eremita securitate periclitatus, & felicitate miser factus est, & cœpit demereri, ipsorum meritorum occasione. Quintò, humani ingenij virtutisque inconstantia: nam de virtute superbus, virtutem amisit; meruitque cadere, vt humiliaretur, qui stando superbiuit: denique in turpia lapsus est, qui vescebatur pane Angelorum, Quo exemplo meritò

Q 4

multi

multi mortales deberent fieri cautiores. Si cadit, qui mundum fugit; quomodo stabit, qui mundum ambit? Si peccat in eremo, ab omni hominum illecebra remotus; quid fiet illi, qui in medijs turbis jactatur? Si labitur, qui in intimis solitudinibus se abscondit, vt declinet labendi occasionem; quid ei continget, qui præcipitia vltro adit? Si vincitur à Venere, tam abstinens; quid sperare potest, qui se quotidie ingurgitat vino, in quo est luxuria? Si non extinguit ignem impurum aqua; an non magis jungentur vinum & Venus? Sternitur sobrietas; & ebrietas firma consistet? Decipitur Eremita tam diu multumque exercitatus; quid fraudis non patietur, qui vix scit duos fidei articulos, in negotio spirituali prorsus peregrinus? Fædatur, in quo omnis virtus fuit; quò non impelletur omni flagitio cooperatus? Vir tantæ orationis intrat in tentationem; quibus modis tentabitur turpiloquus, detractor, blasphemus? Desertor factus est, qui quotidie manducauit panem Angelorum; quàm constans erit, qui quotidie vel cum diabolis, vel cum hominibus diabolo deterioribus versatur? Illum superbia & libido rapuit, cui Deus arcana cœlestia ac res futuras

futuras reuelavit; an parceret ei, cui omnes turpitudines instillantur? Nempe hæc est mortalium pernicies, securi sunt, nec sollicitè ambulant, cum in medio tentationum, periclitantur. Maxima pars hominum putat se non tentari; cum nemo sit, qui non tentetur. Tentati sunt, in statu innocentiae, primi parentes. Tentatus est castissimus Ioseph. Tentatus est Dauid. Tentatus Salomon. Tentati Petrus, Iudas, & omnes Apostoli: omnes Eremitæ: omnes Religiosi: ipse Christus: & est, qui se à tentatione iudicet immunem? Falleris, ô miser. *Tentatio est vita hominis super terram.* Omni momento tentatur. *Sicut leo rugiens circumit tentator.* Sed ita subtilis est, ut laqueum abscondat; ita callidus, ut fraudem astu colat: & ut, qui diu in aquis versantur, non sentiunt se esse madidos, ita qui maximè tentantur, nesciunt, quid sit tentari. Tentari, ô infelices, est ad peccatum allici. Cur toties delinquitis, si non allicimini ad peccandum? cur iussi estis orare: *Et ne nos inducas in tentationem,* si nulla est tentatio? Hostis, ubicunque potest, nocet; & hostis infernalis parceret? Quin neque vnus tantùm, sed sæpe mille tentant. Unde quidam interrogatus, quod illi no-

Gen. 39,
3. Reg. 11:

Matth. 11.

Marc. 5. 9.

Q 5

racm

men esset, dixit, se vocari *Legionem*. Ita totis legionibus quidam ad superbiam, auaritiam tentati, adhuc se à tentatione liberos arbitrantur. Sextò, Dei leuiter sensimq; monentis; & corrigentis magis, quam punientis clementia. Neq; enim panem illico subduxit negligenti, sed minuit, sed minus condiuit. Septimò, vis diuinorum colloquiorum, paternusq; Dei erga filios prodigos ad frugem redeuntis animus. Vbi enim suamet exhortatione motus est desertor, ubi ad poenitentiam ac cellam se recepit, iterum eum diuina bonitas suscepit, & nutrit, sed iam pane mortali manu confecto, ne diuino prodigio iterum ad insolentiam abuteretur.

§. VII.

*Vita religiosa suauitas, acquisita,
vel perdita.*

Septimò, in hac etiam historia, tanquam in viua quadam imagine, sese intuentur Religiosi, qui, quia corporis sui curam negligunt, merentur curam Dei. An non enim liberimè vacant studijs & orationi? an non, dum illis nulla culinæ cogitatio, ne dum cura est, mensam paratam inueniunt? Adde, illis summam esse in pane & cibo suauitatem;